AUGUSTINUS

Entstehungsort unbestimmt, 14. Jh. Seite 33r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35140
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar

orationem. Nichil tamen in hac vita dulcius sentitur, nichil avidius sumitur,
nichil ita mentem ab amore mundi separat. Nichil sic animum contra
temptaciones corroborat, nichil ita mentem excitat et adiuvat ad
omne opus bonum omnemque laborem. Quod magna abusio est

indevote psallere. L vij° capitulo

Miserere mei deus quia et plus
pecco ubi peccata mea emendare debeo. In oratorio namque
sepe dum oro non attendo quod dico. Oro quidem ore sed mente fo-
ris vagante orationis fructu privor. Corpore sum intus sed mente
extra et ideo perdo quod dico. Parum enim prodest sola voce cantare sine
cordis intencione. Propterea magna perversitas ymmo magna insania
est quod cum domino maiestatis loquimur in oratione presumimus et insensati au-
res auditum et nescio ad quas inceptas fabulas cor convertimus. Magna
quoque insania est et graviter vindicanda. Cum vilissimus pulvis loquen-
te ad se dedignatur audire creatorem universitatis. Ineffabilis ve-
ro est divine bonitatis dignacio que cotidie conspicit nos infelices au-
res avertentes obdurantes corda et nichilominus clamat ad nos
dicens: Redite prevaricatores ad cor, vacate et videte quia ego sum
deus. Loquitur michi deus in psalmo et ego illi nec tamen cum psalmum dico attendo
cuius psalmus sit. Ideo magnam iniuriam deo facio cum illum precor ut precem
meam exaudiat quam ego qui fundo non audio. Deprecor illum ut michi in-
tendat, ego vero nec michi nec illi intendo. Sed quod deterius est immunda et in-
utilia intendo, versando fetorem horribilem eius aspectibus ingero. De

instabilitate et dispersione cordis
humani. L viij° capitulo

Nichil est in me et corde
meo fugacius nisi quod
quociens me deserit et per pravas cogitaciones defluit tociens
deum offendit. Cor meum cor vanum cor vagum et instabile dum suo du-
citur arbitrio et divino caret consilio. In se ipso non potest consistere
sed omni mobili mobilius per infinita distrahitur et hac illac quoque per innumera
discurrit et dum per diversa requiem querit non invenit sed in labore miser-
ac requie vacuum manet. Si tibi non concordat a se dissonat